

nus. Fructus cerebro molestus : ceruiciæ inter coquendum additus (quod à plerisque fit) admodum caput tentantem , & citò ebrietatem adferentem eam reddit. Totus frutex cum fructu aridus , vestimentis interpositus , à tineis & vermibus ea tuetur.

De Lantana siue Viburno.

CAP. XXI.

VIBURNUM Lantana. L. 268



INTER humiles frutices & Lantana numeratur. virgas lignosas siue tenues caudices edit bicubitales, aut altiores, digitalis aut pollicaris crassitudinis, lentos, flecti faciles, frangi que contumaces, cortice albicantes : folia verò magna, lata, ambitu siue marginibus crenata, vimis magnitudine & forma ferè similia, sed hirsuta & dum vigent candida, rubentia verò cum citò casura emarcescunt, quæ ex singulis ramulorum geniculis bina ex aduerso cohæret: flores racematim nascuntur candidi, acini succedunt in uiam congesti, Lentis magnitudine ac similitudine, vtriusque leuiter compressi, qui initio virent, inde rubent, per maturitatem nigricant. radix per summa cespitum huc & illuc diuagatur.

Locis frutetos, asperis, ac petrosis, in montibus ac syluis etiam prouenit: Italia, Germaniæ ac Gallia nota.

Æstate flores visuntur: bacca siue acini sub Autumnum ad maturitatem perueniunt: Vere noua folia exeunt.

Itali vulgò *Lantanam* nominant: Gallis *Viorne* dicitur. Creditur esse Viburnum, quod humilem lentumque fruticem Virgilius Bucolicon Æcloga prima ostendit, Romam commendans urbem:

*Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.*

Sunt autem Lantana & folia & bacca refri-

gerantis, resiccantis, & adstringentis facultatis.

Ad tonsillarum & gutturis, omnesque oris cum inflammatione tumores decoctum initio vtiliter gargarizatur: laxiores gingiuas contrahit & dentes firmat. In lixiuio eadem decocta capillos denigrant. Acini facultate respondent, quorum aridorum puluis alui fluores, sanguinisque profluua; tum & muliebria cohibet. Ex cortice radice aliquamdiu sub terra macerato, ac deinde decocto tusoque, viscum ad aucupia parari posse sunt qui referant ac affirmant.

De Buxo.

CAP. XXII.

BVXVS parua arboris similitudine assurgit, caudicibus subinde humani cruris, raro ferè 1. moris crassitudine. ramosa est. folia verò habet magnitudine Myrti ferè, sed duriora crassioraque, rotundis longiora, læuia, ac resplendentia. flosculi herbacei sunt: fructus rotundiufculi, ingustabiles, & omnibus animantibus inuisi: vt & Theophrastus lib. I II. testatur. Materies ligni durissima ac densissima quidem, sed ad opera quauis conueniens, & valdè tractabilis, grauissima quoque, & in aqua subsidens, colore luteo pallefcens, carnem ac teredines non sentit.

Huius verò & alia quædam species humilis existit, quæ ad duos aut tres pedes tantummodo 2. attollitur, sed in latitudinem diffunditur. ramuli huic numerosi tenues admodum: folia verò rotundiora & dilutius virentia.

Argentia & umbrosa Buxus loca amat: nascitur in altis quoque ac rigentibus montibus.

Perpetuò autem viret, nec frigora horret: Aprili noua germina promit, atque subinde flosculos.

Buxum autem Græci *βύξον* vocant: Germani *Buchsbäum*: Belgæ *Burboon*: imperitum

TT

verò

